REDDE QVOD DEBES!
Hoc est
TESSERA,
qva
Summus Imperator
Ex hâc Mundi statione,
avocavit
Vigilem Seculi Militem,
Virum,
Magnificum, Nobilissimum, Amplissimum
ac Consultissimum,
DOMINUM

CHRISTOPHO-RUM RICHTERUM,

ICtum Famigerabilem, Consiliarium Pomeraniæ Provincialis Celeberrimum, Consulem Reipubl. Sedinensis longe Gravissimum
dolente Fata.
C. G.

STETINI,
Typis DANIELIS STARCKII, Reg. Gymn. CAROLINI Typ.

DEFUNCTUS.

V*Eni*, ſed planctu, plorans *Puer* horreo Mundum:
Et mihi qvid lacrymæ? deperitura docent.
Vidi, ſed *Juvenis* Mundum, dum Regna pererro;
Atq; coronatum, proh dolor! *Omne Nihil*
Vici Decrepitus Mundum. Sudore rigare
Has Mundi Palmas: Hoc opus, hic labor eſt.
Jam calco Laurum, nec cingant tempora Olivæ,
Qvæ modo marceſcunt: non peritura peto.
Quærant in Mundo Mundum, qvis Terminus? Omnes
Cancrinum retrò ſic didicere gradum.
Plus citrà fugiens, æger præopto *Plus Ultrà*:
Attingo metam. Summus ad Aſtra vocat.
Anxius inveni, *Cœlum poſt omnia*. Mundus
Hic Labyrinthus erat, dum Labor intus erat.
Salve optata qvies, ſurgit poſt nubila Phœbus.
Sic Mundum ſperno; peſſima Terra *Vale*,
Nam poſt tot vices, poſt tot diſcrimina rerum,
Qvid mihi Terra dedit?

FAMA.

FAMA.

\- - - - - - Qvod Tibi Fama dabit.
Ah sileo! Virtus laudat, qvod Buccina neqvit.
RICHTERI laudes virtus ubiq; canit.
Inservit cunctis, terræ servire negabat,
Officit officio Christophorusq; sibi
Blanditias odit, Judex fuit omnibus æqvus
RICHTERUS NOSTER: nec gravitate gravis.
Non-ambire-nihil, Laus Est. Mutantur Honores:
Hunc ambivit Honos, ambiit Hicce Nihil.
Mox informavit Nostri Prudentia Juris
Multos: Ast tandem dat nova Jura DEUS.
Convictus, mortisq; reus *RICHTERUS* in Orbe
Vitam, Robur, Opes, Omnia, Fiscus habet.
Mansit post anima fateor mitissima pœna,
Exilium Cœlum; qvo relegata fuit.
Jam cecidit civis consul, Pater atq; Patronus,
Lugeat Urbs obitum, *magna Calumna* ruit.
Omnes invito. Procul hinc, procul este maligni!
CHRISTOPHORUS RICHTER jam tumulandus erit.
Suspice jam præsens Ætas, At suspice Manes.
Respice Posteritas. Qvid dolor & lacrymæ?

DEFUN-

DEFUNCTI FAMILIA.

O dolor! o lacrymæ! cecidit. - - - -
Deficio, pereo! ni juvet ipſe *DEUS.*
Hîc Pater ah cecidit! noſtræ ſpes unica vitæ.
Et capite amiſſo, cætera membra cadunt.
Hîc Avus Heu periit! qvi nobis Anchora fixa:
Depereunt omnes: Anchora fracta jacet.
Hîc obiit Proavus! Tempeſtas ingruit Urbis
Protector moritur, proh! Clypeusq; meus.
Inde Parens, Avus & Proavus, conſul eadit Urbis.
Omnes, qvod mirum, condidit urna ſimul.
Symbola ſint aliis: Dictum Richterus amavit:
Immoriar curis, invigilabo bonis.

EPITAPHIUM.

Sola beat virtus. Tumulum non qvære viator.
Occumbens Pietas hic tumulatur. Abi.

FAMA.

- - - - - - - - Sic itur ad Aſtra.

